

1231. Errichtung der Pfarre Südlöhn.

I. 8. 43.

In nomine sancte et invide Trinitatis. Ludolphus Dei gratia Monasteriensis ecclesie episcopus omnibus in perpetuum. Quoniam sensus hominis proni sunt ad malum et rationabiliter ordinata evacuare solet oblivionis incommodum, salubriter provisum est, ut quicquid memoria dignum geritur, vivac litterarum testimonio perennetur, que futurorum obvient calamipne et laudabiliter instituta immutabili eloquantur veritate. Noverit ergo tam presentium charitativa devotione quam futurorum fidelis animadversio, quod cum

quidam parrochiani de Lon propter difficultatem vie veniendi ad ecclesiam et eiusdem remotionem super visitationibus infirmorum suorum, sepulturis et aliis ecclesiasticis sacramentis percipiendis multa sustinerent incommoda et animarum pericula, nos eorum turbationibus et periculis, que possent evenire de hiis, pio compatientes affectu, omnes domos cum extremis domibus, Ebbekine et Duodenkine appellatis, versus occidentem sitas ab ecclesia Lon, cui erant parrochiales, de consensu Godefridi prepositi sancti Martini, qui beneficium memoratum cum banno tenuit a nobis, exemimus et eas capelle Suthloni juri (.) parochiali possidendas in perpetuum contulimus et habendas; attamen quod G. preposito vel eius successori de supradictis domibus annuatim missalis dabitur annona, sicut antiqua semper habuit consuetudo. Sacerdos etiam ibidem deserviens G. iam sepedicto vel eius successori cathedralicu[m] persolvet tempore statuto, ipsud etiam, cum sinodo in eadem capella presidere voluerit, recipiendo et in omnibus sicut decet, laudabiliter exhibendo. Verum quia ius patronatus huius capelle penes ecclesiam beati Petri in Trajecto semper resedit, inter nos et ipsam talis ordinatio intercessit, videlicet quod nos vel nostri successores una vice et ecclesia beati Petri alia vice et sic alternatis vicibus memoratam semper conferemus capellam. Cautum est etiam, quod si capitulum beati Petri eam ordinacionem infregerit, factum nostrum super assignatione domorum, quas capelle tradidimus in parochiam, irritum sit et inane. Ut igitur hec nostra ordinatio stabilis in evum et inconclusa permaneat, eam presentis pagine conscriptione et sigilli nostri appensione corroboravimus: quam si quis imposterum aliquo malignandi ingenio cassare presumpserit, eum quoadusque penitendo se correxerit, districta Dei beatorumque apostolorum Petri et Pauli et nostra anathematis ultione ferimus. Acta sunt hec anno gratie millesimo ducentesimo tricesimo primo, pontificatus nostri anno sexto, coram testibus subnotatis Godefrido maiore decano, Wilhelmo fratre nostro Osnaburgensi preposito, Godefrido sancti Martini preposito, nobili viro Hermanno de Lon, Hinrico milite de Lon, Herbardo aliisque quam pluribus.

Transjunkt nach dem Original auf Berg. mit Siegel in dem Instrument des Notars Johannes Darwelt clericus Monasteriensis civitatis, publicus sacra

U. imperiali auctoritatibus notarius u. i. m. von 1508. Sent. 15.